



**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro
singulis Anni diebus**

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 15. Melius nunquam nostrum in Deum amore[m] testamur, quam si
calamitates cum gaudio amplectamur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

October,

ris; cum hæ media tibi suppeditent saluti tuae
vacandi, eamque ad felicem exitum perducendi.

Sitamen compatimur, & conregnabimus. *Rom. 8. 17.*

Hæc est via vitæ, tribulatio præsens,
via gloriæ, via regni. *Bern.*

DIES XV.

**Meliūs nunquam nostrum in
Deum amorem testamur, quām si
calamitates cum gaudio am-
plectimur.**

I.

SI Deum propterea amamus, quia nobis
benefacit, amor noster proprij commo-
di spirat cupiditatem; ac proin timendum,
ne tunc magis, vel certè non minùs divina
beneficia, quām Deum ipsum amemus.
Verùm, si tunc Deum amamus, cùm dū-
riùs nos tractat, cùm nos affligit, planè
ostendimus, ipsum à nobis amari. Si bo-
norum nostrorum participes reddimus eos,
quos amamus, ostendimus, nos eos præ-
ferre bonis nostris, quibus nos ipsorum
gratiâ privamus. Sed, ubi ipsorum gra-
tiâ libenter mala toleramus, monstramus,
eos à nobis sincerè amari, idcirco, quod

id-

illos nobis ipsis præhabeamus. Omnia alia ~~October~~
nostrī in Deum amoris argumenta, aut im-
becillia sunt, aut certè dubia. Imò Dæmon
quoq; ut imminueret laudes, quibus Deus
ornabat Jobum, dicebat: cur Domine Jobum
tanti æstimas, quòd te amet, dum opibus af-
fluit? quis enim hoc non faceret? sed eum
non nihil acerbius percute; tum experiē-
re, an amor ipsius tot inter ictus constans
persevereret. Deus ipsum reapse percussit;
at quo effectu? Jobus manum percutientis
se osculatus est; qua re diabolus adeò con-
victus est, Deum à Jobo sincerè amari, ut
Deus illius insolentiae insultans, dubij, &
exprobationum ejus injustitiam demon-
strārit.

II. Deus humani cordis percipit: Ius non
solum ejus amorem, sed amorem constan-
tem, & generosum ambit. Calamitati-
bus experiri non cessat illos, quos pecu-
liariter amat, & à quibus singulariter ama-
ri vult. Quò magis eos amat, quò magis
amari ab ipsis cupit; eò pluribus eos
ærumnis affligit, ut non modò ipse
sciat, sed toti mundo demonstret,
se ab ipsis amari, atque ita amari, ut
omnibus alijs præferatur. Amari vult
amore longè diverso ab illo, quo in res
creatæ ferimur. Res creatas, Magnates,

D 3 Prin-

54. *Considerationes Christianæ.*

October,

Principes amamus, quia beneficia ab eis speramus. An verò hos amamus? neenti-
quam, sed eorum beneficia. Ut primùm nullum amplius speramus, amor noster exspirat. Sed amare Deum, ubi nos af-
fligit, non tantum adorare, sed tenerè ex-
osculari manum ferientem, hic est amor peculiaris, & quo in creaturam non feri-
mur. Hoc est Deum, ut Deum amare.
Ivan. 3.4.3.10 Ita Servator noster, cùm ad hortum oliva-
rum ascenderet cruciatibus suis facturus initium, ut cognoscat mundus, ajebat, quia
diligo Patrem; & eum diligo propter ipsum, ea-
mus ad bibendū Passionis calicem, quantū-
cunque is amarus sit; quandoquidem is à
Patre meo prodit, qui mihi occasionem præbet, amorem meum ipsi testandi, dul-
cis mihi evadit. Sic Christus Patrem suum
amavit. Sic Deus amandus est. Num
sic eum amas?

III. Omnes Sancti, qui Deum multum
amârunt, multum quoque amârunt æru-
mnas. Sic Paulus omnem suam gloriam
ponebat in amandis propter Christum æ-
rumnis, in ijs totam suam collocabat felici-
tatem. S. Franciscus Xaverius affirma-
bat, homini, qui Christum sincerè ama-
ret, vitam sine cruce quavis cruce gravio-
rem esse. S. Therelia, quam Seraphinum
hu-

humana carne indutum jure dixeris, October;
quāmque hodie Ecclesia veneratur, incom-
parabilis illa Christi amatrix, illa Crucis
affixa, Dei Crucis affixi sponsa asseverabat,
in intensissimo illo desiderio, quo Deo
in Caelo frui ambiebat, nihil vitam sibi
reddere tolerabilem, nisi occasiones, quae
sibi suppeditarentur, amore sponsi sui
multa patiendi. Negabat insuper, ut ve-
ras filias a se agnoscimus Moniales suas, quae
crucem non amarent. Indesinenter ex-
clamabat: *aut pati, aut mori.* Infelicem
judicabat diem illam, qua nihil pro Deo
tolerabat. Sed fuitne vel unicus talis in
ipsius vita? an non semper patiebatur vel
ob hoc tormentum, quod a Deo suo exul
degeret, vel ob illud, quod non satiis pro i-
psio pateretur? quinam animi sensus? quan-
ta generositas? quantus ardor? si cor meum
ijs non inflammatur, an non id mera gla-
ries est?

Confer te ad S. Theresiam, ut tibi obtineat
modicum quid amoris illius generosi, quo ipsa
ardebat, ut eo impellaris ad amandum Deum,
& calamitates propter Deum.

Superabundo gaudio in omni tribula-
tione nostra. 2. Cor. 7. 4.

Ubi amatur, aut non laboratur, aut la-
bor amatur. Aug.

D 4 DIES